

17
770
FAVORE DIVINO,

ET

Consensu Magnifici & Nobilissimi Jcto-
rum Collegii:

DE

MUTUO,

POSITIONES

PRÆSES,

JOACHIMUS Berger GRYP-

PHIMONTE SIL. J. U. L. CURIÆ

PROVINCIALIS, SCABINATUS

& Facult. Jurid. ProtoNotarius juxtimq;

Consistorii Ecclesiastici quod hîc

est, Advocatus,

&

RESPONDENS

CHRISTOPHORUS SEEDER/


Havelberg. March.

defendent,

Ad d. 22. Octob. 1653.

Horis Matutinis,

In Acroaterio Jctorum



WITTEBERGÆ,

Apud JOBUM WILHELMUM FINCELIIUM.

V I R O

Illustri, ac perquam Generoso

D. VVulfgang Conradoâ Thumbs-
hirm, Toparchæ in Bonit̃ & Nobit̃
Serenissimi Celsissimiq; Principis Ducis Saxonix,
lineæ Altenburgensis, Cancellario ac Consiliario
intimo, splendidissimo &c. &c.

Itemq;

Magnifico, Nobilissimo, Excellentissimoq;

D. THOMÆ REINESIO Philosoph. &
Medic. D. celeberrimo, Reip. Altenb. Consuli
eminentissimo & Physico Ordinario benè me-
ritissimo, Critico & Polyhistori absolu-
tissimo &c.

*Dominis, ac Patronis Optimis, Maximis,
etatem quam humilimè colendis,
observandis.*

Chartas hasce breves in sui studiorumqve
suorum, quæ fieri ac haberi potest, commen-
dationem subjectissimam
devotus inscribit
nuncupatq;

Christophorus Steder Havelb.





Utilissimam, & frequentissimam,
sed & tricis suis innodatam esse
CONTRACTUUM Materiem, edita JCtis
opera, controversiæ forenses & usus abun-
dè testatum faciunt. Contractuum pri-
mas ducunt, qui re ineuntur; interq; Hos
iterum MUTUUM. De hoc, cum quoti-
dianum sit, plenius, juxta suatum Pauli *in l.*
25. D. de liberat. legat. positionem unam atq;
alteram attingere volumus, ulterioris ante-
fationis desituri, quod enim se ostendit, non
eget commendatione *arg. l. 1. D. de in integr.*
restitut. Feliciter verò propositum Numen:
cum Quo sit

POSITIO I.

Contractus (a) Mutui est Juris Gentium,
(b) stricti Juris (c) atq; μονόπλευρος (d) qui tradi-
tione nostra (e) rei (f) fungibilis in genere red-
dendæ (g) perficitur, paritq; certi conditio-
nem (h).

(a) Et quidem verus, cum definitio contractus, qui con-
ventio, obligationem efficacem propriam suam vi producens, eidem
A com-

competat. *pr. f. Q. m. re contr. oblig.* Ipseq; Imp. §. 2. *f. de oblig.*
& §. 2. *f. de f. N. G. & C.* ceteris veris contractibus eundem a n-
Obj. numeret, elegansq; nomen habeat *l. 7. §. 1. D. de Pact.* Sed in
hoc mutuo ita damus, ut res accipientium fiant; *d. pr. Q. m. re*
contr. oblig. i. e. quod de meo tuum fiat *l. 2. §. 2. D. de R. C.* resq;
detur *d. pr. i. e.* dominium transferatur; cum tamen obliga-
tionis substantia non in eo consistat, ut aliquod corpus no-
strum faciat, sed ut alium nobis obstringat ad dandum aliquid
vel faciendum vel præstandum *l. 3. in pr. D. de O. & A.* distentq;
maximè cōtractus & modi dominium acqvirendi, *qvod ex lib. 2.*

Resp. usq; ad lib. 3. *f. ferè habetur;* Resp. in emtione interdum atq; per-
mutatione dominia transferuntur, qui tamen contractus reve-
rà sunt: & annon multi alii sunt contractus genere, qui tamen
proprietate suâ alienationem continent, ut Venditio, dotis da-
tio, *l. 36. D. de A. R. D. dicit Dn. Thabor de alienatione, qvæ in mu-*
tuo vertitur c. 8. Elench. 1. & 3 circa pr. Facit, quod rerum, qvæ
in suo genere functionem recipiunt, usus consistat in abusu
i. e. consumptione, per hanc autem consumenti Dominium
confirmatur *Vultej. ad pr. f. Q. m. re contr. obligat. n. 10.* Imò
Dn. Hahn. *Observat. ad Wesenb. π. de R. C. N. XII. p. 475.* ait, Con-
sumtionem hanc haberi pro modò acqvirendi domini, per
textus à se citatos.

(b) Ex quo & hic contractus introductus *d. §. 2. I. N. G. C.*
& dein ob ipsius utilitatem, necessitatemq; in Remp. Rom.
inductus.

(c) Solus inter reales stricti Juris, in quem tantum, qvæ
expressa sunt, veniunt, quoq; omnia, Arithmetica proportio-
ne, ad æqualitatem eorum, qvæ data sunt, exiguntur *l. 3. D.*
de R. C. ibiq; Wesenbec. n. 9.

Obj. (d) Ubi ab initio solùm mutuataris obstringitur, & ab
Resp. omni vinculo immunis est Creditor, qui quod de dolo & evi-
Obj. Resp. ctione tenetur, ex naturâ contractus non resultat, sed acciden-
tia sunt, qvæ in esse deductum contractum sequuntur. Quod
l. 19. D. de V. S. spectat, definiri ibi nequit contractus per obli-
gationem, cum hæc ex illo oriatur, neq; nos damus, de con-
tractus essentiâ esse ultrò citroq; obligare; stipulatioq; & nu-
mera-

meratio seu mutuuum emtioni e.gr. in eo opponuntur, qvate-
nus hæc διπλευρῶς, illa μονόπλευρα, diciturq; contractus,
non qvodex eo uterq; obligetur, sed qvod ab utroque factus
sit. *V. Sutholt. Diss. 12. ad J. aphor. 48. Ungep. Exerc. 10. ad J.
qvæst. 5. in Nego.*

(e) Hic enim Contractus ad dominium transferendum
habilis est; jam verò nemo plus juris ad alium transferre po-
test, qvàm ipse habet *l. 54. D. de R. I.* Licet verò & domini
translatio & contrahentium consensus requiratur, non tamen
deficiente horum alterutro statim hic contractus perit, sed
aliquando pendet, ut ex postfacto confirmetur, uti fit, innova-
tione *l. 9. §. f. l. 15. D. de R. C.* eventu conditionis interpositæ
*l. 8. D. d. t. Vfusucapione l. 15. §. 1. D. Condiçt. indeb. & consumptio-
ne l. 12. in f. & l. seq. D. de R. C. ibiq; Wesenbec. n. 12. in pr. Schneidw.
ad pr. I. Q. in m. contr. oblig. à n. 27.*

(f) Cum hic contractus perfectus non sit, nec consensus
in eo dicatur formatus, adeòqve nec obligationem producat,
priusqvam sit tradita qvantitas i.e. res omnis fungibilis, qvæ in
genere suo functionem recipit per solutionem qvàm (i.e. ma-
gis qvàm, Judaico vel Græco more; qvorsum pertinet hoc in
sacris *Luc. XVIII. v. 14. descendit hic justificatus in domum suam,
qvàm ille*: Sicut id exemplis suis, ex bonis scriptoribus lati-
nis, selectis, ubi vocula *Magis* omiffa, adscripsit Cl. Major, non
tantùm Uratislaviensium sed communis Silesiæ & olim meus
Præceptor, Venerandus Senex, Vir & in Theologia & in omni
disciplinarum genere & in totà antiquitate versatissimus; in
libello suo de Phrasib. Qvibusd. General. in latino sermone
c. 5. de Formulis, qvæ in Adverb. observ. poss. Sect. X. Ellipsi IV.
Adverbii *Magis* ac potius) specie *l. 2. §. 1. D. de R. C.* i. e. una
fungatur vice alterius, cum per solutionem una res pro alte-
rà reddatur, ita ut tantum præstet, qvantum altera: Seu, *ut
Wesenb. ad d. t. n. 11. in f. ait:* Res mutuo datæ functionem i. e.
communicationem, dationem, redditionem, usum, satisfactio-
nem recipiunt i.e. præstant, non qvidem specie i. e. in ipso in-
dividuo, qvia inutiliter cõmunicarentur, si eadem species esset
reddenda, cum illarum non sit usus, nisi in abusu, sed in gene-

re per solutionem, quia solutio ejusdem generis facit, ut eadem res, quæ data, usque consumpta est, Creditori reddi videatur: adde Nicolaum Bellonum in *Supput. lib. 1. c. 4.*

Reg.

(g) Quoad propositum enim Contrahentium non eadem res, sed aliæ ejusdem naturæ & qualitatis reddantur *pr. J. Q. m. re contr. Oblig.* inde invito Creditori pro vino mutuo dato pecunia reddi nequit. *l. 2. §. 1. D. de R. C.* cum merx & pretium sint diversi generis *l. 1. de contrah. emt.* sitque illud in solutione, quod in obligationem deductum erat. *l. 75. §. fin. D. de*

Exc.

V. O. nisi debitor facultatem rei tradendæ non habeat; est enim tunc æquissimum, concedi ei ex causâ æstimationem officio Judicis præstare *l. 71. §. 3. D. de Legat. I.* quæ rem ipsam repræsentat *arg. l. 33. D. de pecul.* verumque adhuc est mutuum *l. 9. C. de rescind. vendit.* Quoad exitum verò conventionis (sic *l. 2. D. de R. C.* non obstat) iidem nummi invito Creditori restitui possunt; qui exitus non mutat nomen Contractus *arg. l. 1. §. 12. D. Depositi*, nihilque interest Creditoris, cum id à debitore agatur, ut res ejusdem bonitatis reddatur *l. 3. D. de R. C.* & Juxta Heinr. Zoesium *Comment. ad π. Jur. Civ. ad t. de R. C. n. 19.* nihil implicat, eandem rem extantem (in mutuo sc.) reddi, quia satisfit obligationi, cum reddatur, quod debetur *Imò Bacchov. ad Treutl. Vol. 1. Diss. 20. th. 1. l. g.* jejunam hanc quæstionem vocat, & quæ ferè dubitandi ratione carere videtur, siquidem factum infectum fieri, & quod iidem nummi redduntur, efficere nequit, quo minus mutuum rectè fuerit contractum, & illa in genere redditio sit favor debitoris, cui renunciari potest, si re integrâ & sine Creditoris præjudicio fiat. *Vid. Dn. Ungep. Exerc. 10. q. 5. in ajo. Formann. Diss. ad J. 20. th. 1. lit. e. Sutholt. Diss. ad J. 13. §. 17. Licet Dissentiat Vacon. à Vacunâ. Declar. 46. l. 3. n. 12.*

(h) Quæ actio in personam, quæ certum aliquid nobis dari petimus; ab objectoque; ita nomen meruit, quod certum, *l. 6. D. de R. C.* per eam consequamur; quæ ipsa cum competat ex omni causâ, ex omni obligatione, ex quâ certum petitur. *l. 9. D. d. t.* utique & ex mutuo competet (Quo ipso torquere se quis necesse non habet, an sit alia Certi conditio generalis,

lis,

lis, an alia specialis? negotium hoc est *Citra Montanorum cum Ultra Montanis*; V. Bachov. *Tract. de Act. Disp. 4. th. 10. l. a.* resq; ipsa est sine utilitate aut certè modicà, *Schneidw. ad pr. J. Q. m. re contr. oblig. n. 30.* In hanc verò veniunt non tantùm pecunia numerata, sed res omnes fungibiles; *pr. J. Q. m. re contr. oblig. l. 3. D. de R. C.* Quo differt à Triticiarià, in quam pecunia numerata non venit *l. 1. D. de condict. Tritic. V. Bachov. d. Tr. Disp. d. th. 10. l. a.*, Oldendorp. *CL. 4. act. 17. n. 4. junge CL. 4. act. 39. Fomann. Disp. ad J. 20. th. 2. l. b.*, *Termineus in Processu c. 148. & 149.* Ceterum condicere olim erat denunciare, ubi debitor extrajudicialiter ad solutionem interpellabatur; quod hodiè fieri urbanum tantùm est, nisi quod necessarium sit quoad liti s expensarum periculum, cum fortè debitor interpellatus spontè solvisset. *Vid. Mudeum ad §. 15. I. de Action. n. 3. Schneidw. ad §. 1. eod. n. 122. & 123.*

II.

Filiusfamilias [a] mutuatarius (b) etsi in dignitate constitutus (c) non tamen Studiosus (d) perpetuà SC. Macedoniani exceptione tutus est (e) cui renunciare non potest (f) ne quidem juramento (g)

(a) SCtum enim Macedonianum prohibuit mutuas pecunias dari ei, qui in potestate parentis est, & ei, qui credidit denegatur actio §. 7. J. *Quod cum eo, qui in al. potest.* modò sciverit, aut scire potuerit Creditor, Filiumfam. esse eum, cui credebat. *l. pen. D. de SC. Maced.*

(b) Licet pecunia non solùm numeratam pecuniam, sed & omnia còrpora *l. 178. l. 222. D. de V. S.* complectatur; hìc tamen verba videntur Ulpiano ad numeratam pecuniam referri. *l. 7. §. 3. D. de SC. Maced.* cum hæc irritamentum malorum fiat, sæpeq; illà in luxuriam insumptà filiusfam. oneratus vitæ parentum insidietur *d. §. 7. I.* Si verò fraus SCto adhibita,

A 3

puta,

puta, frumento vel vino vel oleo mutuò datis, ut his distractis, fructibus, uteretur pecuniâ filiusfam. est ipsi subveniendum. *d. l. 7. §. 3. ibiq; Wesenbec. n. 6. Zang. de Except. p. 3. c. 12. à n. 12.*

Reg.

(c) Cum in eo nihil dignitas faciat, quo minus SCtum locum habeat. *l. 1. §. f. D. de SCto Maced.* sc. ob jus patriæ potestatis, ob quam & Nobili Filiof. hoc beneficium competit;

Exc. 1.

nisi paterf. factus solverit partem debiti *l. 7. §. f. D. d. t. Dn.*

2.

Carpz. p. 2. c. 10. defin. 17. à n. 8. nisiq; sit dignitas, quæ à nexu paternorum sacrorum liberat, cum dignitate & publico pol- lens officio luxui vacaturus haut præsumatur, nec periculum corruptionis, nec in parentes insidias inde arguere sit: facit, quod qui è sacris illis ivit, sibi acquirat omnia, *arg. d. l. 1. §. f. in f.* quæ ipsa sublata putatur per *Nov. 81. c. 1.* Hinc *secundum Castrensem ad d. t. 1. §. f. n. 2.* Statutum, dicens, quod fili- usf. non possit se obligare sine patre, non habet locum in tali dignitate, quæ liberat à patriâ potestate: *Consule quoque Ba- chov. ad Treutl. Disp. 20. th. 7. l. e. Dn. Carpz. d. l.*

(d) Plura sunt, ubi hoc SCtum cessat; hoc tantum delibo; Hujus ergò SCti autoritas petitionem ejus pecuniæ non im- pedit, quæ filiof. Studiorum causâ alibi degenti, ad necessa- rios sumptus, quos Patris pietas non recusaret, credita est *l. 5. C. ad SC. Maced. §. l. 7. §. 13. D. eod.* Ergò Studiorum causâ da- ta pecunia locum non facit SCto, si modò filiusf. jussu Patris literis applicavit animum, cum sine adminiculo sumtuum, literis excultum filiumf. habere nequeat Pater; *arg. l. 77. D. de Adquir. hered. §. arg. l. 2. D. de Jurisdic. cum & non tantum alimenta, verum etiam cetera onera præbere pater ab judice cogi possit l. 5. §. 12. D. de agnosc. §. alend. lib. videaturq; ita pecunia in rem patris esse versa, ubi SCtum cessat l. 7. §. 12. D. SC. Maced. cum acquisita filii scientia laudi ducatur patri; Imò Pater hoc in casu continuare debet expensas necessa- rias, donec sine studiorum potitus filiusf. *V. Castrens. ad l. 5. C. ad SC. Maced.* aliàs si ille noluit, hunc mancipari studiis, sed arti alii adhibere constituit, (cum plerumq; pietas pater- ni neminis consilium pro liberis capiat optimum *arg. l. 22. §. f. D.**

444

f. D. ad L. Jul. de adult.) cogi ad Studiorum sumtus nequit; *V. Zanger. de Except. p. 3. c. 12. n. 61. Castrens. d. l. n. 2.* ubi tamen habet, se disputando tenuisse contrarium, si filius est aptus & facultates patris suppetunt; & *n. 3.* Illum casum, ait, vidi *de facto*, ubi filius contra patris voluntatem venit *ad Studium*, cupidus studere, & tamen revocavit eum, & nihil voluit administrare, dicens quod volebat, quod ipsum juvaret in suis agendis; sed malè sibi fecit, & malè sibi successit; *Hec ille.* Ceterum si nō constet, pecuniā benè collocatā, præsumptioni locus nō est; sed Creditor probet necesse est, eam in usus necessarios versam, & quidem ex nondum à patre subministratā quantitate, quam annuatim pater solet administrare *d. l. 7. §. 13. D. ad SC. Maced.* (cum differitas sit militis & filii. siquidem ille quoad mutuum pro patre habetur *l. f. §. f. C. ad Sc. Maced.* hic verò ex quacumque causā mutuò sumens, semper in Academia filius est: Illum, cum perpetuò fuerit sub Duce, pecuniam nō nisi in rem militarem impendisse præsumit lex; hic v. quoad hunc Contractum in Academia sui arbitrii est, licet Jurisdictioni RECTORIS sit suppositus) nec Creditorem ignorantia excusabit, cum scire potuerit *l. pen. D. ad SC. Maced.* vel ex tabellariis, aut ex Præceptoribus, aut iis ubi habitat, cibumque capit, quibusque cum conversatur; Ex quibus tamen si indagare nihil potuit Creditor, cesset necesse est SCti exceptio, cum pater filium mittens indulgisse videatur cuivis, quo juvarent suppeditando necessaria *arg. l. 1. §. 2. D. de exerc. act.* Huc spectat in Statutis hujus loci per Elect. Saxon. Dn. August. ad petitionem hujus Universitatis & Senatus oppidani confirmatis ipsisque Calendis Maii confirmatis 1561 Statutum, cujus Rubr. Warnung vom vielfeltigen schädlichen Vorgen zu vermeiden. p. m. 45.

(e) Filius. ex omnibus causis, tanquam Pater, obligatur, & ob id agi cum eo tanquam pater, potest *l. 39. D. de O. & A.* & tam ex contractibus quam ex delictis in ipsum competit actio *l. 57. D. de Judic.* inque hoc mutuo & naturaliter & Civiliter ipse obligatus est *l. 10. §. 18. D. ad SC. Maced.* quæ obligatio ut causa, effectum scilicet actionem, producit, sed qui eliditur

ditur per hanc perpetuam exceptionem *l. 9. §. 4. d. t.* indeq; jus agendi Creditor non videtur habere, cum nihil interfit, ipso jure actionem quis non habeat, an per exceptionem infirmetur *l. 112. D. de R. J.* Verisimileq; putat *Vvesenbec. x. b. t. in f.* olim Pratores ex Scto petitiones hoc nomine denegasse, quamvis ipso jure ex obligatione extitissent. Hanc autem exceptione & Patri succurritur, & Fidejussori & Mandatori *l. 9. §. 3. D. b. t.* cum per indirectum ita ex fraude sua sentiret Commodum Creditor actione pulsans fidejussorem & mandatorum, qui mandati habent regressum. *d. l. 9. §. 3.*

(f) Cum semper uti possit filius. hanc exceptione *l. 11. D. d. t.* eam favoremq; patris & odium foeneratoris *§. 7. f. Quod cum eo qui in al. potest.* utilitatemq; publicam respiciente, ne se corrumpatur filius. & aere alieno obrutus ante diem patrios inquirat in annos, *vid. l. 7. §. 14. D. de pact.* & licet facile a filiof, renunciationem impetraret Creditor, committeretur nihilominus in legem.

(g) Cum & in nominibus & Cautionibus, quae Sacramenti habent mentionem, exceptio non numeratae pecuniae locum sibi vindicet, *l. f. C. de non num. pec.* nec facto, legibus prohibito, sacramentum admitti potest ad servandum. *l. 5. C. de ll.* & cum aliis in licitis negotiis rescindantur transactiones & renunciationes juratae ex capite minoris aetatis dolique &c. *V. Dn. Carpz. p. 2. c. 35. def. 2.* quidni & hic? ubi enixissima voluntas Macetae corrumpendi filiumf. adigendiq; ad juramentum, quo laxior licentia fraudi esset: & quamvis corruptio morum & insidiae vitarum parentum ex accidente comitentur hoc mutuum, attamen Reip. proficuum, ansam peccandi praescindi, & cum *ἡνὶ τὸ πλεῖστον* accidat, ut juvenes corrumpantur, in hoc jus constitui oportuit. *l. 3. D. d. ll.* Nec Canones hoc diffitentur, ubi dolo praestitum sacramentum, inq; alterius praesudicium redundans servandum non est *c. 28. X. de Jurej.* Hic tamen adseverandum, quod opus sit absolute juramenti, quia hoc super facto Jure Civili tantum, non etiam naturali, prohibito, interpositum est, *v. c. 8. §. 15. X. de Jurej. §. Gail. l. 2. obs. 42. à n. 5. Constit. Elect. 35. p. 2. in pr. ibi,*

das

Das solcher beschwerter Theil von dem Eide zu absolviren. Nec
obicem ponit *Auth. Sacram. pub. C. si adv. vendit.* siquidem &
illud jusjur. nullius momenti dici potest, quod restitutione
rescinditur, *Dn. Carpz. p. 2. c. 35. def. 3. aut cum Dn. Frantz. lib. 2.
Resol. 6. n. 17.* dic, quod in d. *Auth.* nihil de confirmatione i-
pſius actus habeatur, sed saltem dicatur, quod juramentum
custodiendum sit: quem per d. totam *Resol. lege.* Ceterum an
potestas relaxandi à nexu juramenti sit solius Ecclesie, an v.
Politici Magistratus; nostrum non est hinc inquirere. De Jure
Camerali remissio hæc quoad effectum agendi Cameralibus
indulta; *Cammergerichts Ord. p. 2. c. 24.* von Relaxation der Ei-
de ad effectum agendi; quâ factâ nullâ opus esse remissione
aliâ, dicit *Mynſing. Cent. 2. obs. 57.* Addunt tamen hoc *Consulta-
tores Saxonici Tom. I. p. 1. q. 4. n. 15.* Wolte man aber hierinnen
der Consistorien oder Theologen Bedencken mit einziehen / daß
hat seinen weg; nempe quod duplici de causâ absolutione sit
opus, ne jurans patrare cogatur, quod promisit, peccatumque
tollatur, quod committitur ipsâ rei turpis promissione, uti di-
cit *Dn. Carpz. P. 2. C. 35. def. 3. n. 9.* & necesse est, sic absolvat à
juramento ipsa Ecclesia, cum effectus illius absolutionis, quem
Magistratus politicus (qui, quomodo hinc absolvat vid. *Const.
Elect. 36. p. 2. & ibi Möller. & Rosa. & Dn. Carpz. quem omninò vid.
Zang. de Except. p. 2. c. 1. n. 429 Dn. Frantz. lib. 2. Resol. 3. n. 72.*)
præstat, ille sit, non ut radicitus evellatur obligatio, sed ut
jurantis solùm persona apta reddatur, ut sine metu perjurii
actionis viam ingredi vel exceptionis subsidio sese defende-
re queat, ac potius declaretur præviâ sc. Ecclesie absolutione
qs. absolutus, quàm ut absolvatur. Notes verò velim, licet
Serenis. Elect. Saxon. pro administrando suo jure Episcopali
duobus utatur mediis, cum, quæ sint *Ordinis*, per Superinten-
dentes, quæ *Diæcesanæ & L. Jurisdictionalis* per Consistoria-
les expediat, Consistoriis tamen suis summis (quorum qua-
tuor, *Wittebergense, Lipsiense, Misnense & Zuickoviense,*
quibus *Theologi & Jcti* præsumt) potestatem à juramento
relaxandi, ne quidem ad effectum agendi indulſit, sed sibi re-
servavit. *Const. Elect. 36. p. 2. verb. Uns heimgestellet und zugewie-*

B

sen.

Obj. 495
R.

Q.



sen: ut sic illa relaxatio immediatè in Aulâ Electorali impe-
tranda sit, Zang. p.2. c.1. n.429. Caspar. Leipoldi ap. Arum. de Jur.
publ. Vol.1. Discurs. 13. q. 20. p. 113.

III.

Ex mutuo [a] cui contrahendo Cives ipsi
[b] vel ipsum totius Civitatis regimen [c] vel
& hoc & illi per Syndicos & Actores [d] vel
Cives ex postfacto ratificantes [e] consense-
runt [f] vel quod jam in rem communionis
versum [g] mutuò sumserunt soli administra-
tores [h] qui jus contrahendi non habebant,
Civitas obligatur; [i] aliàs soli administra-
tores tenentur [k].

(a) Extra dubium esse putamus, Civitatem & quamlibet
communionem & quodlibet artificum atque Tribuum Colle-
gium ex delictis v. Bronch. C.1. aß. 59. CammergerichtsOrdn.
p.2. t.9. Berlich. p.5. Concl. 62. n. 20. Gilhaus. Arb. Judic. c.4. ram.
1. §.11, judiciariis actibus. C. Elect.13. p.1. ibiq. Dn. Carpz. d.5. n.3.
Marant. in Spec. p.6. vers. rectè concipiatur Citatio n. 94. Grav.
lib.1. concl. 49. n.8. Oldend. in Syll. exc. for. ad tit. de formâ lib.
n.9. Clar. §.f. Pract. Crim. q. 16. n. 7. & contractibus obligari
posse.

(b) Secundum suetum morem vocati (v. c. 30. ibi campa-
nam pulsari X. de Elect.) quorum, cum præjudicium vertatur,
consensus expiscandus; arg. l. 2. C. de Decur. Coler. de P. E. p. 2.
c. 3. n. 349.

(c) Cùm enim interdum multò difficilius in turbâ homi-
nũ conveniri cœptũ esset l. 2. §. 9. D. de O. 7. summa administra-
tionis tribus, ut plurimũ, CONSILIIS allen brenen Stãthen/
commissa est; quorum pactum Universitati & prodest & obest

446
l.14. D. de Paët. Coler. de P.E. p.2. c.3. n.350. Dn. Carpz. p.2. c.6. d.18.
Hartm. Pistor. p.1. q.37. n.5. in fin.

(d) Actores enim vel Syndici ad agendum ab Universitate dati pro hac interveniunt l.2. §.3. D. Quod cujusq; univ. nom. jussuq; Civium, vel eorum qui rerum Civitatis administrationi præpositi sunt, negotium gerunt: hincq; cum Civibus & Consiliis Civitatis Quod jussu agi potest l.4. D. quod jussu V. Pinell. ad l.2. C. de rescind. vendit. p.2. c.4. n.68.

[e] Sicut & aliàs ratihabitione Domini conciliatur mutuum arg. l.1. §.6. D. quod jussu l.7. §.1. C. quod cum eo qui in al. pot. quæ ratihabitio mandato & consensui non est absimilis, prorsusq; retrotrahitur & confirmat ea, quæ ab initio subsecuta sunt l.7. C. ad SC. Maced. Zang. de Exc. p.3. c.12. à n.31. quæquam in aliis terminis. Berlich. p.1. Decis. 148. n.19. Felin. ad c.33. X. de Simoniâ n.2.

(f) adeò ut major pars Civium præsentium, etiam absentes, more tamen solito convocatos, obligent, ne paucorum absentia sive necessaria sive fortuita, debilitet, quod à Majore parte Ordinis salubriter fuit constitutum arg. l.45. C. de Decur. & utilitas publica suadet interdum aliquid cum incommodo privatorum fieri arg. l.1. §.6. D. ne quid in flu. publ. ac quod à duabus consilii partibus salubriter constitutum est, habetur ac si omnes & singuli ex tribus curiis fecissent, vid. Coler. de P.E. p.2. c.3. n.379. Hartm. Pistor. l.1. q.37. à n.7.

(g) Versionis probatio non tantùm in mutuo sed in omni Contractu locum habere debet, modò saltem utilitatem contrahentis cum administratoribus respiciat, ut est mutuum d. l.27. & depositum c.1. X. depositi; & fidejussio c.4. X. de fidej. Hartm. Pistor. p.1. q.37. n.29. Dn. Carpz. p.2. C.6. def.20. n.3. Heig. lib.1 q.34. n.8. Versum verò hoc à Creditore probandũ, cum aliàs in dubio ipsius sit, exprimere in quam causam sit creditum l.1. C. de solut. eiq; incumbat probatio qui dicit, non qui negat. l.2. D. de probat. modò agat adversus Universitatem; Consule Zoesium ad d. t. de R.C. n.42. aliter res habet, si actio adversus administratores, quibuscum contractũ, intentetur, quibus onus probandæ versionis incumbet, cum contra ipsos stet præ-

præsumtio, adeò ut *nec exceptione versionis* ipsi tuti sint, pa-
rumq; abest, quin suam prodant turpitudinem, dum adstru-
unt pecuniam versam non esse, hinc enim præsumitur versam
in rem propriam; *Dn. Carpz. d. p. 2. c. 6. def. 23. n. 5. Coler. de P. E.*
p. 2. c. 3. n. 351. Versio verò hæc non probatur, si instrumento facti
Administratores, pecuniam esse versam, cum sit probatio qs.
in propriâ causâ l. 10. C. de Testib. & facilè sic ad delinquendū
invitarentur. Nec iidem excusabuntur per Seniorum con-
sensum, utpote in quorum potestate non sit, onerare commu-
nitates sine causâ d. l. Zoef. n. 44. Nisi producat instrumentum
sigillo publico roboratum, ubi expressum, TRIA CON-
SILIA in contractum consensisse, licet subscriptio absit:
Martinus Mager à Schönbergk de Advoc. arm. c. 14. n. 86. Dn.
Carpz. p. 2. c. 6. def. 18. n. 16. & seqq. Aliàs Versio probatur per testes
idoneos & per sensum oculorum, aut etiam præsumptivas pro-
bationes veresimilesqve; Dn. Carpz. d. l. def. 19. n. 11. Hartm. Pi-
stor. d. l. q. 37. n. 38. Fachin. lib. 2. Contr. c. 76.

[h] Aut quoque sunt Syndici vel Actores; qui semestri
spatio mutantur circumscriptâ fungentes potestate, nec spe-
ciali ad contrahendum sunt instructi mandato, qui, extra man-
datum hoc, nomine Civitatis contrahentes, nec hanc nec cõ-
munia bona obligant *l. 27. D. de R. D. si versum non sit.*

[i] Non ipsi Cives singillatim, (nisi ipsi se singulatim
obligarunt, inq; se periculū receperunt *l. 1. in pr. D. de Magistr.*
Conven. qui & ad hoc Syndicum constituere possunt, qui sin-
gulos eorumque bona obliget. Bartol. ad d. l. 27. D. de R. C.
& quidem singuli viritim tenentur l. 11. D. de duob. reis
l. 20. §. 1. D. de pignor. act. modò singuli in solidum sese non
obligarunt. V. Hart. Pistor. p. 1. q. 37. n. 8. Dn. Carpz. p. 2. c. 6.
d. 24. 25, 26. Coler. de P. E. p. 2. c. 3. n. 381.) nec in horū singulorum
bona, sed in bona publica & communia executio fieri debet,
ne circa unam eandemq; rem plures in solidum correi con-
stituantur contra §. 11. f. de R. D. Magistratusque Jurisdictione
tantum dominium in subditos habet, neque liberis jus,
quod quodammodò vivis parentibus in horum bonis habent,
quæsitum auferendum; Coler. de P. E. p. 2. c. 3. n. 371. & 334.
& quod Universitas debet, singuli non debent, & sicut illius no-
mine

mine action em dat Prætor, sic & adversus eam justissimè actio
concedenda. l. 7. in pr. § 1. D. quod cuiusq; univ. nom. Gail.
de pac. publ. c. 9. à n. 7. per consequentiam nec pignorari jure
poterunt Cives, cum culpa nulla ipsis imputari queat. v. Ja-
cob. à Canibus Tr. de Repræssal. n. 26. Ut sic pareat, cum Univer-
sitatis nomine sit contractum, hanc quoque esse obligatam,
adversusque eam Creditorem actione (quam antequàm insti-
tuat, benè deliberare debet, nec enim conducit semper, ut
civitatem convenias? An verò alternativa actio & adversus U-
niversitatem & Administratores concessa sit? vid. Græva lib.
1. Concl. 62. n. 3. Hartm. Pistor. p. 1. q. 37. n. 45. & seqq. Dn. Carpz.
p. 2. c. 6. def. 22.) experiri necesse habere. Ejusmodi Universitas
licet adminicula evitandi executionem habeat prodita, hanc
tamen non effugiet, si Professores ollarum fortunæ ordinare
velit, ordinetq; das Sie Glückstöpffe anfahen wollen / cum
hoc acqvirendi genus illicitum sortilegium esse probet.
Sigmundus Suevus Pastor Laubensis Tr. Germ. Vom Glücks-
töpffe (dissentit Jacob Bornitius lib. 2. de Avario c. 4.) Illisqve
interdixit ELECTOR noster Serenissimus in Policen- und Aley-
der Ordnung Rubr. Töpffspiel; ubi hæc: Diweil auch zum drey-
zehenden durch das Töpffspiel oder ludum ollæ manchem das
Geld aus dem Beutel getoeket worden / soll hinfüro in unsern
Landen keinem dergleichen zu halten nachgelassen / viel weniger
andere Gauckelspiele verstattet / oder von desselben Orts Obrig-
keit / welche / dessen ungeachtet / solches nachgeben / ein hundert
Thaler straffe zu milden Sachen anzuwenden / durch den Schöf-
fer / so derer Orthen sein wird / alsbald einbracht werden. Sed
frustrà sententiã condemnatoriã ferit Judex Universitatem,
quæ semper in integrum restitui posse videtur, cum minori
comparetur, & arg. est in l. 4. C. ex quib. caus. maj. aut potius
in hoc nostro casu restitutionem habere nequit, probatã e-
nim pecuniæ versione, solvere debet, aut non probatã te-
nentur administratores; Nihilominus tamen & in hoc nostro
casu restitutionem ita admittimus, sc. si Universitas in mutuo
præter pecuniæ acceptæ restitutionem, læsionem aliquam o-
stendere possit, ut si sub initium mutuò dati nummi, nexa pi-

Obj.

R.

447



gnori esset res Creditori, quâ non oppignoratâ, maximè opus
habet Civitas, tunc hæc utiq; restituenda ratione rei pignore
affectæ, cum qui restituitur in integrum, sicut in lucro mora-
ri non debet, ita nec in damno *l. un. C. de Reputat. quæ fiunt in
judic. arg. l. 9. D. de Appellat. l. pen. C. quib. ex caus. maj. in integr.
restit. l. 24. §. 3. D. de minor. Hartm. Pistor. d. l. p. 1. q. 37. à n. 58. Ba-
chov. ad Treutl. V. 1. Disp. II. th. 8. l. h.*

[k] Hos Administratores intelligimus, qui jure contra-
hendi ipsis non concessio Civitatis nomine contraxere; & hi
soli tenentur *d. l. 27. D. de R. C. extra casum sc. versionis in rem
publicam, ita ut suis facultatibus Creditori satisfacere debe-
ant, cum & Procurator, qui pro Domino vinculum obliga-
tionis suscepit, onus ejus frustra recuset l. 67. D. de Procur.
Nec tantùm tenentur durante, sed & post depositam Potesta-
tem, quia & in eum, qui administrationis tempore Credito-
ribus Reip. novatione factâ, pecuniam cavit, post depositum
officium actionem denegari non oportet l. 3. §. 2. D. de admi-
nistr. rerum ad Civitat. pertin. Dn. Carpz. p. 2. c. 6. def. 21. n. 8.
Anton. Faber. ad tit. C. de O. & A. def. 4, 5, & 15. Nec eorundem
heredes ab obligatione sunt immunes, cum actio hæc ex mu-
tuo sit rei persecutoria *vid. Oldend. Cl. 4. act. 17. n. 6. p. m. 625.
& arg. n. 6. act. 4. class. 6. p. 979. Ultra v. depositum munus con-
veniri nequeunt, qui contrahendo Remp. repræsentantes ex
necessitate contrahere opus habuere, ne functio ipsis damnosa
sit l. 7. D. testam. quemadm. aperti. Hartm. Pistor. p. 1. q. 37. n. 55.
Experiri verò quis potest adversus Administratores *condictio-
ne causâ datâ causâ non secutâ* *V. Oldendorp. d. l. p. 979. cum sub
hâc conditione Creditor Civitatis contemplatione dedit pe-
cuniam, ut administratores hanc in usus Reip. converterent,
quâ cessante causâ administratoribus pecunia condici potest,
arg. l. 6, & 14. D. condict. caus. dati & noti est juris, quod non
omnis numeratio mutuum constituat arg. l. 19. D. de R. C.
vid. Treutl. Vol. 1. Disp. 20. th. 5. lit. e. & Bartol. ad d. l. 27. D. de
R. C.***

IV.

IV.

Creditori, cuius gratiâ dies præstandæ solutionis adjectus non est (a) rectè ante diem quod in diem certum debetur (b) solvitur invito [c].

[a] aliàs si debito modo probatum est, interesse maximè capientis personæ, ante diē nō restitui, hautquaquam restituens ab obligatione liberatur *arg. l. 15. D. annuis legat.* ut quæ sua facilitati imputet, quod fortè perdituro solverit pecuniam.

(b) Certum scil., cū incertus habeatur pro conditione *arg. l. 75. D. condit. & demonstr.* quâ pendente nec cessit nec venit dies. *l. 213. D. de V. S.* hinc Creditorem ex hâc incertâ die consideratum pro conditionato æstimamus, qui in testamentis propriè Creditor (sc. ante conditionis & diei incertæ purificationem) non est; sicut & ad rerum sub incertâ die titulo legati & fidei Commissi relictarum venditionem vel hypothecam proflire potest heres propter spem conditionis minimè implendæ *l. 3. §. 3. C. commun. de Legat. d. l. 213. D. de V. S.* Dictum in testamentis, aliter enim in Contractibus conditionalibus, in quibus tempus spectatur, quo contrahimus *l. 78. in pr. D. de V. O.* ut ex eo contractus vires habeat, Diversitatis rationes optimè ponderat *Godofr. ad d. l. 78. l. b. Trentl. V. 2. disp. 27. th. 2. lit. d. Gail, lib. 2. obs. 137. Bronch. c. 4. ass. 50.*

[c] Cum hîc dies, modò certus, etiam in dubio pro debitore adjectus præsumatur, *arg. l. 15. D. de annuis legat.* ubi probandum, diem capientis gratiâ esse additum, & cū adjectus efficiat, ne præsentî die pecunia debeatur, apparet inde, diei adjectionem pro reo esse, non pro stipulatore, ergò licentiam habebit debitor pro se introducto favori renunciare *l. 29. C. de Pact.* quodq; certâ die promissum est, vel statim dari potest, totum enim medium tempus ad solvendum liberum promissori relinquitur *l. 38. §. 16. D. de V. O. l. 70. D. de solut.* Ubi vides, quod in libertate debitoris positum sit omnimodò, an velit

velit statim ante diei adventum dare i. e. pecuniæ dominium transferre: an alio quodam die, tempus solutionis conventum præcedente: quo verò jure libertate hæc debitor privari potest citra suum factum i. e. consensum? imò plus debito præstitisse sentiendum, qui diem prævenit, *d. l. 15. inf. D. de annuis legat.*, & quod in diem debetur, antè solvi potest, sunt clarissima verba *l. 137. §. 2. inf. D. de V. O.* Neque textus hos ita explicare potes, quatenus consensus Creditoris anticipatæ solutioni accessit, hoc enim *d. l. 137.* non admittit, cum illa ipsa permittat promissori, ubiq; solvere, licet stipulatus Creditor sit, sibi Ephesi dari: quodq; oppositivè dicuntur, *antè solvi posse, nec tamen antè peti posse*: quo clarè ostenditur, solùm debitoris favorem attendi, & cum debitor, si e. g. felici navigatione maturius, quàm quisque Ephesum pervenire potest (quod in *d. l.* totum judici æstimandum relinquitur) eò pervenerit, confessim obligatus sit, ita ut statim ante lapsum temporis conveniri possit *Castrens. ad d. l. 82.* quidnî & ante lapsum diei spontè invito Creditori solvere posset? Neque consensum Creditoris admittit *d. l. 38. & d. l. 70.* cum nemo voluntate Creditoris prohiberi possit, quò minus renunciaret privilegio & solvat ante diem *arg. §. 4. verb. invito eo & c. 7. de inutil. stipulat.* Neque Creditor niti potest quasi jure quodam quæsito ex die, solutionis causâ adjecto, non enim exserte negat *d. l. 137. §. 2. D. de V. O. ibi, quod in diem debetur, antè solvi potest, licet peti non potest.* Sensus sc. est: Debitor, quod certâ die solvere promiserat, ante diei adventum solvit jure, ut liberetur ab obligatione; Creditor verò ante diei existentiam cum effectu (quod ideò adjicimus quia verum esse credimus, quod in obligatione in diem seu non purâ, *uti loquitur Dn. Frantzck. disp. de Oblig. th. 49.* reverà præsens subsit obligatio *l. 46. D. de V. O. §. 2. 7. eod.* ac omni jure debeatur *l. 3. §. f. D. de constit. pecun.* diesq; adjectus non essentiam obligationis, ut quæ jam constituta, respiciat, sed tantùm executionem i. e. solutionem, quæ extra esse obligationis est) intentare nequit actionem, imò oppositâ *plus tempore petitionis* exceptione, reo totum tempus dilationis, inchoandum à tempore contractus usq; ad

Obj.

R.

Ob.

R.

ad diem solutioni destinatum, duplatur sine usurarum præ-
statione, nec tenetur, etiam duplicato tempore, litem suscipere,
nisi sumtus litis, in priori instantiâ factos, refuderit ad-
versarius. *vid. Zang. Tr. de Exc. p. 2. c. 11. n. 11.* Cæterum quæstio-
nem defendunt *Bronch. c. 4. ass. 63. Petrus Augustin. Morla p. 1.*
Empo. Jur. t. 8. q. 21. n. 4. Vultej. lib. 1. Jurispr. Rom. c. 51. n. 124.
& Dn. Carpz. p. 2. c. 28. def. 11.

V.

*Filius pretia librorum, sumtus Studio-
rum, Laureæ Doctoralis, Notariatus & pe-
regrinationum, non cogitur conferre.*

Textibus juris, rationum momentis, Dd. & rerum judi-
catarum autoritatibus evincemus, sumtus, quos in Rubricâ
legere est, regulariter in communem hæreditatem redigi non
oportere. De impensis in studia maturanda factis testis lo-
cuples Ulpianus *in l. 50. D. fam. ercisc.* quæ, inqviens, pater,
filio emancipato studiorum causâ peregrè agenti, submini-
stravit, si non credendi animo pater misisse, fuerit compro-
batus, sed pietate debitâ ductus, in rationem portionis, quæ
ex defuncti bonis ad eundem filium pertinuit, computari
æqvitas non patitur. Qui textus & facti speciem & regu-
lam, quam defendimus, hujusque unam atque alteram sup-
peditat rationem; Regula verò est ea; *Sumtus, Studiorum cau-
sâ subministrati, conferendi non sunt;* cui regulæ firmamentum
antithesis, ibi *si non*, adjicit: Etenim cum adversarius filii
Studiofi probare necesse habet, à patre pecuniam ut credi-
tam esse transmissam, utiq; præsumitur pro filio regulari-
ter, sumtus ejuscemodi donatos esse, cui præsumtionem tam-
diu statur, donec diversum evidenter fuerit probatum: *Wesf.*
π. de prob. & præsumt. n. 15. lit. d. præsumtionemque illam
suadet, quod pietatis adfectu ad id obligatus videatur esse
pater, cum hæc sumtum erogatio vicem alimentorum susti-
neat,

C

neat,

neat, quæ reddi non justâ ratione postulatur. *l. 11. C. de negot. gest.* hincq; succedaneum, ex capite naturalis æqvitat̃is im- pensam hanc repeti non posse, naturâ enim debitum da- tum condici neqvit. *arg. l. 26. §. 12. D. Condict. indeb.* cum naturâ alimenta filio pater debet. *arg. d. l. 26. junctâ l. 1. §. 3. D. J. & J.* Ampliamusqve, quod æs alienum occasio- ne studiorum in vitâ patris à filio contractum, ex com- muni hæreditate sit solvendum. *l. 5. C. ad Sc. Maced.* cum *juxta Bachov. ad Treutl. Vol. 2. Diss. 17. th. f. l. c.* effectu i- dem sit, sive actualiter pecunia ex bonis patris fuerit ero- gata, sive filius studiorum gratiâ contraxerit æs alienum *l. 20. §. 6. l. 39. §. 3. D. fam. ercisc. Hartm. Pistor. l. 1. q. 19. Schneidw. J. de Donat. Rubr. Quib. inter viv. don. pot. à n. 74. p. m. 258. Coler. p. 1. decis. 62. n. 20. Dn. Carpz. Jurispr. For. p. 3. c. 11. def. 17. Berlich. p. 2. decis. 249. n. 5. Treutl. Vol. 2. Diss. 17. th. 5. l. b. Th. f. l. c. ibique Bachov. Sutholt. Dissert. ad J. XI. Ceroll. 7. & 8. Bronch. c. 2. Miscell. aß. 34.* Præjudicio- rum veritate thema hoc illustrat *Dn. Carpz. d. l. Quod verò jam de studiorum sumtibus adsertum, id cum & circa pre- tia librorum &c, manifestum sit, eò tractum volumus; hoc refutaturi tantùm pro viribus, quod ut diversum in sumti- bus Doctoratus &c à sumtibus studiorum sentiunt unus atque alter; scil. agentes vix esse, quin incommodo affecti sint ceteri liberi, ubi ad honorem Doctoratus contulit sum- tus pater. l. 1. §. 5. D. de collat. nec hîc causa alimentorum urgenda, cum utiqve vivere possit filius, etiamsi citra Do- ctoratus mitram foret, & fortè anno quis toleraret vitam sumtibus, quos impendimus unâ die in Doctoris titulum: Verum enim, quod ob dignitatem (doctorem) vel à patre datum est, vel debetur, præcipuum filium habere oportet, siqve adhuc sit debitum, commune omnium heredum o- nus est, dicit Jctus *in l. 1. §. 16. D. de Collat.* & quidem me- ritissimo; cum ex filii honore splendescere incipiat tota familia, præsertim cum Scholarium scientiâ totus illumi- netur*

Obj.

R.

450
netur mundus *Auth. Habita C. ne filius pro patre*; nec raro fiat, ut, dum ille ad munus aliquod Reip. adspiravit, fratribus sororibusque suis distribuatur beneficia, atque sic, si quod incommodum in ipsos expetiisset, sic pensatur: nec absurdè dicitur, quod in rem familiæ versum esse nummum, cum honorem inde habeat, fortèque & alia: proindeque hoc totum ipsis præstare incumbat *v. S. 4. J. Quod cum eo qui in al. pot. censeturque pater donasse de bonis suis, quæ ex legum licentiâ, cui velit, applicare potest. S. 1. J. per quas pers. cuiq; acquir.* De Notariatus, & peregrinationum filii sumtibus idem judica cum *Carpzov. d. l. def. 18. atque Hartm. Pistor. d. l.* Cæterum quæsi nostri habes limitationes 1. nisi pater administraverit filii bona castrensia. 2. aut sumtus pessimè filius prodegerit (de quâ an jure dubitet *Bachov. ad Treutl. V. 2. Disp. 17. tb. 5. l. h.* discurrendo videbimus). 3. si id in speciali libro, ad hoc præparato, consignaverit pater: Consule *Dn. Carpz. p. 3. c. 11. def. 20. n. 8.* quod repetit *p. 2. decis. 166. n. 22. Treutl. d. l.*

VI.

Qui ludos solius sortis, aut hujus & ingenii simul exercet, extra ordinem quidem coercendus, à collusore tamen aliquando repetit mutuum.

De ludis licitis, qui sunt artis tantum [*Vid. Dn. Carpz. pr. crim. p. 3. q. 134. n. 14.* ibi, ne utique verò] non quærimus, hinc enim nec ludens puniendus, nec quicumque mutuans prohibetur mutuo datum repetere, cum ob rem honestam datum condici possit *arg. l. 1. D. de condict. ob turp. vel inj. caus.* Ergo igitur fortunæ ludos ac mistos (exempla habet *Dn. Carpz. d. l. n. 14. & Elector. Saxon. Polit.*



cey Ordnung de anno 1612. c. 12. p. 72. add. Dn. Sahn observ. ad π.
Wesenb. ad lib. 11. tit. 5. de aleator. n. 1. circa f.) exercentem poenæ
arbitrariæ subjugamus, præsertim cum ille cupiditate rei
alienæ inflammatus, hanc illicitè quærat, omittatque
suo labore victum parare, locupletemq; sese reddat cum
damno alterius, trahatque secum res ludi multa incommo-
da alia, ut verè *d. l. n. 5.* dicat ex aliis Dn. Carpzov. ex lu-
do tot crimina nasci, quot sunt puncta in taxillis. Cæte-
rum de poenâ arbitrariâ in genere hoc adfirmamus, quod
illa pro modo delicti circumstantiarum gravium in capita-
lem verti possit *v. ap. Riem. Dec. ult. qq. illustr. 9. ex jure Justi-
nianeo & novo Casareo textus, Marant. in Spec. Advoc. part.
4. Rubr. an sit iudicium civile vel Criminale n. 69. p. m. 59.*
Sed num & in nostro casu aliquando poena capitalis locum
sibi vindicare potest? dubius sum. Elector. Saxon. *d. l.* ha-
bet mulctam pecuniariam atq; carceris poenam, ibi *Welcher
nun hierwieder handeln/ oder solches in seiner Behausung nach-
geben wird/ der sol jedesmahl zwanzig Thaler zur straffe (dar-
von ein Thaler deme/ so es in erfahrung bracht/ gebüret) ent-
richten/ oder do er es nicht im vermögen/ acht Tage lang in
gefänglicher hafft enthalten werden.* quas tamen, exempla tan-
tùm esse dicit Dn. Carpzov. *d. l.* ita pergens, *& Judex pro ar-
bitrio & ratione Circumstantiarum hasce poenas diminuere vel
etiam augere, ac quandoque relegationem collusoribus indicere
qvit, uti praxis quotidiana docet, hæc Ille:* à quâ Praxi ceu le-
gum animatrice addisci oportebit, an & ipsos lufores hos
poena capitalis maneat; Theorica enim jura apertius &
perfectius quotidianò iudiciorum usu in ipsis rerum docu-
mentis apparent. *§. 6. J. de satisdat.* Deinde quod in lu-
do prohibito secum ludenti mutuum dedit, repetit ludens,
si mutuarius denuò & ex intervallo promittat, se id resti-
tutum aut recipiat præceptum iudicis, quod in confessum
de solvendo impetrarat Collusor mutuò dans: Ibi gemi-
nata promissio fortiùs urget, *vid. Schneidw. ad §. 9. J. de
Act.*

Act. n. 17. p. m. 720 quancquam in casu alio: nec consensus ad reddendum abesse potest, ubi ex intervallo promittit iterum: hic verò recipiendo præceptum, factus esse videtur, sese debere, quem confessum pro iudicato habemus, qui solvere cogitur. *l. un. C. de Confess. vid. Berlich. p. 1. decis. 66. n. 4. & Fiebig. Diss. 9. ad f. Semid. q. f. n. 5. imò Clar. lib. 5. sent. §. ludus. n. 8. p. m. 63.* indistinctè habet, quod, quicquid sit de jure, (sc. mutuantem in ludo non posse repetere,) contrarium servetur in Practicâ, est enim consuetudo, ut possit hujusmodi pecunia repeti, & talis consuetudo valet secundum communem opinionem, observandaque non solum inter laicos, sed etiam inter Clericos, & ita magis communiter receptum est. Hæc Ille ex Dd.

VII.

Mutuatarius & de casu fortuito & de insolito tenetur.

Quid in singulis contractibus sit præstandum, res digna est explicari: Clavis verò hujus totius tractatus rectè dicitur *l. 5. §. 2. D. Commodati & l. 23. D. de R. f.* cum hic nobis prolixioribus esse non liceat, rem totam ad duo revocabimus capita: unum aget de definitionibus mali doli, casus fortuiti & culparum: alterum præ se regulas feret, quæis doli casusq; culparumq; præstationes ostenduntur. Dolus malus est omnis Calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita: Casus fortuitus est damnum fatale, quod nullum humanum consilium prævidere potest *l. 2. §. 7. D. de adm. rerum ad Civit. pertinent: exempla sunt in d. l. 23. in f. D. de R. f.* Culpa in genere est negligentia quædam, destinata animi maliâ carens, quando damnum inferitur, finitore Sutholt. *Dissert. 13. §. 37.* cum quæ consonat Definitio Bartoli, quam habet *Jacob. Airer. p. 2. de homicid. volunt. n. 6.* Lata culpa est nimia negligentia, i. e. non intelligere, quod omnes intel-

ligunt l. 213. §. f. D. de V. S. Levis est ea negligentia, quâ quis ad modum diligentum patrumfamilias diligens non est arg. l. 72. D. pro socio: Levissima est negligentia, quâ quis ad modum diligentis. patrumf. diligens non est §. 2. J. Q. m. re contr. oblig. Culpis igitur his opponuntur diligentia; Ceterum plura de his vide apud Sutholt. & Ajrer. d. d. ll. & adde omnino Vultejum ad §. 16. J. de Act. à n. 75. Culparum & diligentiarum extrema sunt dolus & casus fortuitus: ille in omni contractu & semper, hic verò in nullo (excepto mutuo, de quo postea) præstatur regulariter. Jam promimus regulas, quarum prima:

1. Quoties dantis tantum versatur utilitas, lata culpa præstatur.

2. Quoties accipientis tantum vertitur utilitas, etiam levissima præstanda culpa.

3. Quoties utriusque contrahentis utilitas versatur, & lata & levis culpa præstanda.

Regularum harum applicationem ad contractus vide sis ap. Vultej. d. l. & Bronch. ad l. 23. D. de R. J.

In Mutuo igitur, cum id accipientis tantum gratiam ineatur, & dolus & casus & culpa omnis præstanda: Sic sentiunt Schneidw. ad pr. n. 41. J. Q. m. re contr. oblig. Vultej. d. l. ibi, in quibusdam, præter illa omnia, etiam casus fortuitus, ut in mutuo; Nec ullus Contradictor est, quod in mutuo regulariter non sit præstandus casus fortuitus: & pro hoc etiam probando adest clarissimus textus: Sic enim dicunt Dioclet. & Maximian. in l. 11. C. si certum petatur. Incendium ære alieno non exiit debitorem, ubi l. h. ita Godofr. & merito; debitor enim mutui, genus debet, quod nunquam perit v. §. 2. J. Q. m. re contr. oblig. vers. & is quidem. Nec enim genera
quid


452

quid sunt materiale, sed quid intellectuale, quod passionem non recipit: Hæc Ille: resq; suo Domino perit *arg. l. 9. C. de pignor. act.* transtulit verò dominium rei mutuò datæ mutuans, modò ipse Dominus fuerit, cum & appellata sit mutui datio ab eo, quod de meo tuum fit, & ideò si non fiat tuum, non nascitur obligatio. *l. 2. §. 2. D. d. R. C.* & notes velim ex eo dum debitor mutuarius fortuitum præstare debet casum, *apud Dn. Thaborem de alienatione, quæ in mutuo vertitur, c. 8. n. 3. p. 358.* infert quidam ibi laudatus Germaniæ Jctus, ab effectu, quod mutuum sit species alienationis. *legi 55. D. de solut.* satisfacit Thabor *d. l. circa fin. Elench. 1.* Dn. Hahn tamen non nisi per metonymiam mutuum dici posse alienationem ait *d. l. ad d. t. de R. cred. N. XIII. p. 482.* De casu insolito an debitor noster teneatur, ante omnia inquirendum, an sit insolitus casus, distinctus à fortuito, id enim negat Nobilis. Pautzschman *lib. 1. c. 7.* Sed alii ipsi in os contradicunt, ut Sebastian Medices *Tr. de fortuitis casib. p. 1. q. 13. n. 5. 10. & fin. & Dn. Carpz. p. 2. c. 26. def. 7. n. 5.* ex quibus id deprehendere est, quod casus fortuitus sit, qui non rarò contingit: Insolitus verò qui rarò: [rarissimi enim & omnino insperati in considerationem non veniunt *Bernh. Grævæus lib. 2. concl. 23. considerat. 4.*] uterque verò est eventus sine intentione, *Medices d. l. n. 11.* nec pro hoc destituimur Juris textu; instar omnium sufficiat *l. 78. §. 3. D. contr. emt.* ubi vis & tempestas sunt casus fortuiti, immoderata verò nives & contra consuetudinem tempestatis, sunt insolitus: jam & ille textus evincit, eum, qui fortuitum suscepit, ad insolitum teneri quoque casum; etenim venditor frumentorum, præstaturus ex pacto vim & tempestatem, ut fortuitos casus, se emtori obligatum non putabat, cum frumenta immoderatis nivibus periissent, fortè quod ut rarò hoc fiat, de quo rarò contingenti nemo sese obstrinxisse videtur, & tamen ex emto cum eo agi posse responstat Jctus, ex emto scil. ob immoderatas nives,
quæ

quæ vi & tempeſtati contradistinguuntur : Facit quod
ſub fortuito, inſolitus caſus non extensione aliquâ verbi,
ſed magis proprietate comprehendatur; uti dicit *Dn. Carpz.*
d. l. p. 2. c. 26. def. 8. n. 5. ubi & præjudicium: adde *Bachov.*
ad Treutl. Vol. 1. Diſp. 29. tb. 6. l. h. quem omninò
vide, Bronch. c. 1. Miſcell. aß. 15. Sutholt.
Diß. 13. S. 45.

SOLI DEO GLORIA,





453

IN luce versatus Lycæi es hactenus,
Lucemq; mentis passus es sat conspici
Et indolem Virtutis ac Industriam:
Hic disputandi campus ac hinc gloriæ
Patescit, hic futura Virtus proditur.
Interpretaris jura, leges Gentium
Et justis & Æqui vim studes pernoscere:
Ut hic juventutis, Decus sic Patriæ
Tuæ es futurus, & columna Civium,
Et Legis interpretès verenda Te Themis
Juris Sacratæ inseret Doctoribus.

Ita de Disputatione Juridicâ publicè habendâ

DNO. RESPONDENTI gratulatur

CONRADUS VICTOR SCHNEIDER

Phil. ac Medic. Doctor.

HEm! Militis *vana corolla gratiâ*
Animus ferox decertat, & cruenta sic
Temnit cruenti bella Martis, dummodò
Potiatur indè, aut Laureæ victricibus
Ramis caput cingi, aut obire fortiter
Funesta Fata. Tu **STEDERE**, floscule
Politioris indolis, *felicis*
Magè *præium tentas. Corolla postmodum*
Felicio veniat Tibi: nisi occidat
Calor iste. *Constantes decus manet & honos.*
Constanter ergò præliandum est. Præmium,
STEDERE. fac, tandem feres certissimum!

CHRISTOPH. BRESLER J. U. D.

Consiliarius Barbyens. Facult: Juridic. Witteb.

Assessor & Syndicus ibidem.

X

Præstat



*Præstantissimo Dn. Respondenti, Amico & Commensali
suo dilecto, de Mutuo disputanti:*

GRatuitum STEDERE foret, spe mutuum abiret
nullâ, ni stipulanti operæ, promitteret æqvam
Mercedem Themis alma tuæ, pro fœnore spondet
Quicquid Apollo potest, possunt præstare Camœnæ,
Principibus sociare Viris, sceptrisq; superbis
Conciliare tuum studium. de Mutuo abibit.
Sic nunquam in cassum tua Disertatio docta.

gratularur

NICOLAUS Schwabe.



Handwritten ink scribbles, possibly remnants of a signature or title.

00 A 64 621


ULB Halle 3
002 937 379




WD 17

Reko ✓







FAVORE DIVINO,

ET

Consensu Magnifici & Nobilissimi Jcto-
rum Collegii:

DE

MUTUO,

POSITIONES

PRÆSES,

JOACHIMUS Berger GRY-

PHIMONTE SIL. J. U. L. CURIÆ

PROVINCIALIS, SCABINATUS

& Facult. Jurid. ProtoNotarius juxtimq;

Consistorii Ecclesiastici quod hîc

est, Advocatus,

&

RESPONDENS

CHRISTOPHORUS SEEDER

Havelberg. March.

defendent,

Ad d. 22. Octob. 1653.

Horis Matutinis,

In Acroaterio Jctorum

WITTENBERGÆ,

Apud JOBUM WILHELMUM FINCELIIUM.